

regum delucidanda mihi — misisti &c. Sequitur Capitulare XXX. Quaestionum, cui tamen deinceps non adhaeret Textus, sed ad XXXII. nullo tamen augmento progreditur. Ejus initium: Quod ait propheta (ad Heli) loquens ex persona dei. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem &c. ut Opp. omni. edit. Colon. 1688. T. IV. col. 333. f. quae Editio, ut quaedam legat melius, in aliis tamen e Codice perfici potest, qui v. g. in Praef. rectius habet: uel habite non intelligantur, quam vel habere non intelligantur, et Quaes. I. rectius: mediator dei et hominum, quam mediator Dei et Dominum; item paternorum sit in omnibus conscius arcanorum, quam patris in omnibus conscius arcanorum; item in domo pereunte sacerdotis beli, necesse est ut veniens ad ecclesiam offerat, quam Pereunte sacerdotio Heli necesse est, ad Ecclesiam offerat &c.

U. 101. Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 84. 4. per duas columnas luculente exaratus, rubro distinctus et quondam cum tot aliis ab *Joh. Fabro* Ep. *Vien.* adolescentis Cleri studiosissimo additus suo ad *D. Nicolaum* Seminario continet *D. Hieronymi* *Explanationem in Daniele* Prophetam.

*Fida mente. loci rupertus semper honori
Intendens. sumptus libri large dedit huius.
Tempore prepositi scriptus liber iste richardi
Ex quo prelatus undenus uoluitur annus.*

Praefatio ad *Pammachium* et *Marcellam* incipit: *Contra Danielem prophetam duodecimum librum scribit porphirius &c.* Id singulare, quod post verba: *in titulo eiusdem belis fabule ponitur*, Librarius noster hanc Notam innotatam interfert: *Incipit expositio sancti Hieronymi presbiteri super danielem prophetam. prout potuit breuiter explanauit, ut eo facilius secreta illius legentibus panderentur quo commentico (ita) sermone dictata uiderentur. Hoc opus domino adiuuante ita exorsus est, et deinceps Praefationem continuat, deceptus, ut videtur, a verbis sequentibus: Homo quidam erat sacerdos nomine danibel, quae sacri textus initium esse rebatur. Ceterum omnia integra sunt, ut docet collatio cum edit. *Vallar.* T. V. col. 617. textusque satis emendatus. Ad oram superam fol. 44. legitur: *Iste liber est monasterij Sancte dorothee* (quondam Canon. Reg.) *Wienne*; unde ad *Fabrum* devolutus fuerit. Quo sensu nae vel hodie Libri saepe Volumina sunt!*

CCCII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 12 XIII. Folior. nunc 240. f. per duas columnas caractere luculento, atro exaratus, rubricisque pernotatus natales suos his ad calcem versibus prodit:

Quid